

## VIII

Leucopetrensis meruerat. Tum vero, Leucopetra relicta, contulit se in Urbem nostram, fortunarum suarum sedem hic collocaturus. Quod consilium ei feliciter processit. Nam eodem statim anno cooptatus est in Ordinem Amplissimum, et inter Curiae Assessores adscriptus decreto Principis. In illo autem Ordine per Aedilitatis et Proconsulatus gradus tandem ad Consulatum peruenit, successus *Stiglitio* a. LVIII. cui etiam in Curatione Scholae Thomanae successerat.

Inter haec bis matrimonium iniit, primum breui post aduentum in hanc Urbem, a. d. XVII. Sept. cum *Maria Rosina Sinmeria*, deinde tertio anno post, d. XIII. Febr. cum *Rabele Christiana Wincleria*, quae ante D. *Graeuium, Gotfridi*, Consulis clarissimi filium, in matrimonio habuerat. Sed primum cum *Sinmeria* coniugium admodum breue et sine prole fuit. Nam tertio mense post nuptias d. XIII. Dec. diem illa obiit supremum. Alterum et tempore et prole laetius fuit. Nam annum vnum cum vicesimo, inter concordia et secunda omnia, durauit, et ipsum feliciter Patrem fecit, nata filia, *Carolina Friderica*, quae ad ingenii sensusque paterni similitudinem nata et educata, in matrimonium data est a. L. d. XX. Octobr. Viro illustri, D. *Carolo Friderico Trierio*, fratri patrueli, Consiliario in iudicio, ad quod de prouocationibus certatur, et Senatori huius Ciuitatis amplissimo.

Sed his tot, tam secundis rebus dignissimum fecerant multae, et magnae, et amabiles virtutes; quae fere erant e genere leniori, quod pertinet ad iustitiam, fidem, liberalitatem, mansuetudinem morum, et ad facilitatem, e quibus virtutibus imprimis perlucet honestas et decus, quod non modo allicit maxime animos ad beniuolentiam, sed etiam maxime dignum est amore. Recte enim praecipit *Cicero*, colendum esse ita quemque maxime, vt quisque maxime his virtutibus lenioribus sit ornatus, modestia, temperantia et iustitia. *Off. I, 15.*

Erat